



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Articulus IV. Quomodo Fidejussor ab obligatione liberetur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)



convenire juxta §. 4. Instit. de Fidejuss. & L. 10. §. 1. C. h. t. ex quo patet, *beneficium divisionis* nihil aliud esse, quam expositam exceptionem; hoc beneficium divisionis, seu exceptio, opponi potest usque ad sententiam ex cit. §. 4. concessum est à divo Hadriano Imperatore; conceditur Fidejussoribus non tantum immediatis, sed etiam mediatis, hoc est Fidejussoribus Tut. & extenditur etiam ad Correos promittendi, qui sunt principales debitores, Novell. 99. c. 1. & refertur in auth. *Ho: ita*, C. de duobus Reis: facta divisione, periculum non ad Confidejssores, sed ad Creditorem spectat, quando unus ex illis pure fidejussit, & antequam solvat, solvendo esse desinit, L. 5. §. 1. §. 4. ff. h. t. & hoc verum est, licet Creditor esset Minorennis; quia hoc casu nec aetatis auxilio defenditur, ut ibid. dicitur; Si autem fidejussit solum sub conditione, & existente conditione desit esse solvendo, creditori datur actio, contra eos, qui pure fidejussissent, L. 27. ff. h. t.

1911 Quæstio est 5. quid dicendum de beneficio *cedendarum actionum*? s. quòd, (si contingat Fidejssorem debereolvere totum debitum, vel quia alii tunc non sunt solvendo, vel quia hic, & nunc debitum dividi non potest, aut non debet) succurratur ei per remedium, seu beneficium *cedendarum actionum*, tam adversus Creditorem, quam alios Confidejssores, ut non possit prius ad solvendum compelli, quam Creditor illi cedat omnes actiones, quas habet adversus debitorem principalem, & alios Fidejssores, tam personales, quam reales, etiam hypothecarios cum exhibitione instrumenti principalis in cessione; colligitur

hoc ex L. 17. ff. h. t. L. 36. eod. L. 41. eod. L. 2. C. eod. contra debitorem autem principalem Fidejssori, postquam ejus loco solvit, competit actio mandati, & negotiorum gestorum; c. *fin.* h. t.

ARTICULUS IV.

Quomodo Fidejssor ab obligatione liberetur?

1912 **R**esp. cum liberari primo, si debitori à Creditore legata est liberatio; tunc enim etiam fidejssor liberatur L. 4. §. 9. ff. h. t. Secundò, quando inter Creditorem, & Debitorem fit *novatio* obligationis principalis, in quam Fidejssor non consensit, nec de novo fidejussit; tunc enim iste, vi prioris fidejssionis, non obligatur, L. 4. C. h. t. tertio, si Creditor, adveniente tempore solutionis, negligat solutionem accipere, etiam monitus à fidejssore, iste liberatur, si debitor principalis postea non sit solvendo L. 62. ff. h. t. Not. autem 1. si fidejssor fiat hæres debitoris principalis, vel econtra, manere obligationem principalem L. 5. ff. h. t. L. 14. & 21. eod. Not. 2. si Creditor proroget debitori terminum solutionis, non liberari fidejssorem; L. *fin.* ff. de Novationib. quia per hoc nulla fit Novatio. Not. 3. liberationem fidejssoris per vim, vel metum obtentam non valere; quia renetur se in obligationem reponere ff. L. 10. Quod metùs causa. Not. 4. Fidejssorem tantum *promissum*, non autem *actualiter datum*, vel stipulatione constitutum, liberari, si Creditori offeratur alius æquè idoneus; quia Creditori in primo casu, secus in secundo, nondum est jus quaesitum in talem determinatam personam. Not. denique 5. obligationem Fidejssoris transire ad ejus hæreses. §. 2. Instit. h. t.

QUÆSTIO XXIII.

IN TITVLVM XXIII. DE SOLUTIONIBUS.

1913 **P**ostquam præcedentibus titulis actum est de cautionibus tam in genere, quam in specie, quæ præstari solent Creditoribus in securitatem debiti, subjungitur titulus *de solutionibus*, quæ habent rationem peculiaris modi extinguendi debitum ante contractum; &

quamvis debitum extingui possit variis modis (nimirum Novatione, Delegatione, Compensatione, & acceptilatione, de quibus egimus superius à n. 1032.) speciali tamen titulo in jure nostro agitur de modo extinguendi debitum *per solutionem*, de qua in seqq.